Rex David derisus est a Michol uxore sua

Prima figura



Istud etiam Michol filia Saulis praefiguravit
Quae regem David coram se derisit et subsannavit
David ad laudem Dei citharizando subsiliebat
Quem Michol per fenestram respiciens deridebat
Et sufficit ei quod inter citharizandum eum deridebat
Nisi etiam derideret ipsum postquam domum intraverat
Tamquam nimis gloriosum ipsum appellavit
Et nudatis scurris eum contumeliose comparavit
Sic synagoga Christum plus quam scurram dehonestavit
Quando Barraban sibi praeferens Christum inter latrones condempnavit
David citharizando praefiguravit Christum
Quia sicut chorda in cithara sic in cruce extenderunt ipsum
O quam dulcem melodiam haec cithara decantavit
Quando cum lacrimis et clamore valido pro nobis oravit
Quando latroni vere paenitenti paradisum promisit
Quando matrem discipulo et discipulum matri commisit
Quando dixit se pro nostra salute sitire
Et consummatum esse quod pro nobis debuit subire
Quando Hely Hely lamasabathany exclamabat
Et spiritum suum patri suo commendabat
Contra hanc citharizationem synagoga ipsum subsannavit
Et postquam emisit spiritum subsannare non cessavit

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/speculum1436/0138
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg